Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Ac si dicant filio dei. Loquere et vaticinare nobis bona et prospera huius mundi; nam si aliud quid locutus nobis fueris et predicaveris, contrariam mortis sententiam subire habebis.

Cui Micheas ait: Vivit dominus, quia quodcumque dixerit mihi dominus hec loquor. Locutus est Christus in eadem verba Iudeis cum diceret: Amen amen dico vobis, quia omnia quecumque dixit mihi pater, hec loquor in mundo. Venit itaque ad regem. Cum enim esset deus homo factus, ipse expectatio gentium et salvator earum, ad Iudeos veniens primum sese illis optulit, ubi etiam primum euangelice predicationis scolam instituit, et predicationis sue condimento non nullos ad perfecte fidei et perfecte conversationis meritum convertit. Hinc est quod idem rex Israel interrogans eum ait: Michea, ire debeo in Ramoth Galaad ad preliandum an quiescere? Cui ille respondit: Descende et vade prospere, et tradet dominus in manu regis. Interrogantibus enim quibusdam et scire volentibus qualiter vitam eternam possiderent, quomodo perfecte fidei et perfecte conversationis summam consequi valerent, respondit in hec verba unumquemque admonendo et docendo: descende inquiens et vade prospere. Ac si dicat: Descende, id est humilitatis profunde ima sectare, et ex corde conpunctus et humiliatus vade prospere, idem secure inter inimicos tuos conversare, et quandoque salvabis. Hinc cuidam adolescenti interroganti quomodo vitam eternam possideret ait: Si vis perfectus esse, vade et vende omnia que habes et da pauperibus, et veni sequere me. Dixit autem rex: Iterum atque iterum adiuro te ut non loquaris mihi nisi quod verum est in nomine domini. Adiuratio ista adiurationem illam longe post futuram presignavit, qua eundem dominum nostrum Iesum Christum traditum Iudeis ad illudendum et flagellandum et crucifigendum princeps sacerdotum interrogavit dicens: Adiuro te ut dicas nobis si tu es Christus filius benedicti. Qui cur talia pati dignaretur, et cur hora illa et potestas tenebrarum desuper data sit ei, prestatur dicens: Vidi cunctum Israel dispersum in montibus quasi oves non habentes pastorem. Vidi, id est misericordia motus sum, quod egregia illa creatura quam manus mee fecerunt et plasmaverunt, Adam scilicet et Eva, quos in montibus, id est tuta et sublimi seu amena paradysi habitatione collocavi, me contempserunt, et quasi oves non habentes pastorem pascua vite neglexerunt; vidi inquam et misertus veni ad hoc natus in mundum, atque debitum solvere et veteris piaculi cautionem pio cruore detergere. Et ait dominus: Isti non habent dominum. Ac si prius conditor quid homo post culpam meruit insinuet dicens: Me pro domino habere non possunt, quia debitum mihi famulatum mandatis meis rebellando impendere noluerunt; et quia me dominum dereliquerunt, revertatur unusquisque, caro scilicet et spiritus graviter experiantur discidium; caro inquam redeat in terram, et spiritus revertatur ad dominum qui dedit illum. Unde duram et asperam mortis sententiam peccati hominum deus omnipotens obiecit quando ait: Terra es et in terram ibis.

Dixit ergo rex Israel ad Iosaphat: Numquid non dixi tibi quia non prophetat mihi bonum sed semper malum? Sic denique synagoga calumpniatur quod Christus non bonum sed semper malum prophetavit, quia semper contemptum seculi et obedientiam predicavit; at ille magis ac magis verba predicationis ingeminat et inculcat dicens: Propterea audi sermonem domini. Vidi dominum sedentem super solium suum, et omnem exercitum celi assistentem ei a dextris et a sinistris e i u s.